

- 25 Tu exaudies in celo, faciens iudicium;
 Nam iustificabis iustum et damnabis impium,
 Reddens impio secundum viam suam pessimam
 Et iusto secundum suam faciens iusticiam.
 Si propter peccata sua populus hic fugerit
- 30 Inimicos et peccati eum penituerit
 Veniamque hoc in loco deprecatus fuerit,
 Tu dimittes illi, quicquid contra te deliquerit,
 Sed et contra inimicos dabis fortitudinem,
 Ut non terra redigatur hec in solitudinem,
- 35 Quam eorum promisisti possidendam patribus,
 f. 1^r. Ex Egypto ducens illos signis (et) virtutibus.
 Si peccato exigente pluvia desierit
 Et plebs tua hoc in (loco) veniens oraverit,
 Plebi tue peccatorum dabis indulgentiam,
- 40 Terre quoque, quam dedisti eis, dabis pluviam.
 Fames aut corruptus aer si in terra fuerit
 Et erugo vel locusta vel rubigo venerit
 Pestilencieque lues populum affligerit,
 Vel si inimicus portas illius obsederit,
- 45 Si infirmitas aut plaga sive devoratio
 Imprecacioque mala fuerit in populo
 Populusque cordis sui plagam recognoverit
 Et devote manus suas hic ad te expanderit,
 Tu exaudies de celo et propiciaberis
- 50 Faciesque eis, sicut cor cuiusque videris —
 Solus enim nosti corda filiorum hominum —
 Ut laudetur nomen tuum hic et in perpetuum.
 Si propter peccata sua huc alienigena
 Quilibet de terra sua venerit longis(si)ma,
- 55 Nomen enim tuum magnum in extremis finib(us),
 Audietur universis generationibus,
 Facies ei, quodcumque supplex postulav(e)rit
 Quamvis hic de plebe tua Israel non fue(rit).
 Si ad bellum contra hostes populus exieri(t)
- 60 Et propter peccata sua superatus fuerit
 Captivumque eum victor inimicus duxerit,
 In captivitatis loco si conversus fuerit
 Atque orans ad hanc domum vultum suum (verterit)
 Dabis plebi tue coram inimicis gratiam

26 'iustificaberis' Hs. 27. 28 'Reddens impio secundum suam facies iusticiam' 1. Hd., von 2. Hd. zu zwei Versen ergänzt. 28 'facies' Hs. (1. und 2. Hd.). 32 'quicquid' verb. in 'quicquid' Hs. 34 'Aut' Hs. 36 Lücke durch Wurmfrass. Zwischen 37 und 38 ist 39 von 1. Hd. geschrieben, dann an seiner Stelle wiederholt. 38 Lücke durch Brandfleck. 40 'condidisti' verb. in 'quam dedisti' Hs. Von V. 54 bis 63 geringe Einbussen am Versende durch Beschneiden. 57 'postuu(e)rit' Hs.